

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0400

0398

0404

0394

0409

0389

0449

0349

0499

0299

0899

Ende

Anfang

387

Sicut autem Arabia illa deserta est terra infeliciſſima et valde mala, ita Arabia alia, felix dicta, est felicissima et valde bona, quae quondam Cadrosia fuit dicta, haud longe ab Aegypto distans. Aurum in ea abundat, quod e cuniculis nulla arte factis effodiunt, non quidem quod igne exprimunt, sed ipsa natura purum ex humo producit in nucis quantitate. Haec Arabia etiam Saba dicitur, a civitate insigni ejus, quae terra eorum, quae apud nos sunt pretiosissima, fert et omni pecoris genere est copiosa. Odoribus etiam suavibus, quos passim natura gignit, omnes nationes superat. In maritimis locis balsamus oritur et cassia et in silvis ejus magnae sunt thuris et myrrae arbores, palmae insuper, arundines ac cinamomum etc. Neque enim referri possunt singulorum species, quae natura adeo affluenter in ea aggregavit. De hoc vide Diodorum L. III. C. XII. et L. IV. Haec fertilis et felix terra in tantum differt ab illa sibi vicina Arabia Petraea et deserta, ac si mille ab ea distaret milliaria. Haec deserta Arabia ad occasum vergit et arenosa est penitus, et qui per eam iter faciunt, quemadmodum in mari nautae Areti (arcti) signa duces habent. In hoc autem loco solum locuturus sum de solitudine Syn, quae a terra sancta incipit et ad radices montis Synai et in littoribus maris rubri finitur in provincia Madian. Quod autem mons Synai sit in Arabia, patet per Apostolum Galat. IV., ubi dicit: Syna enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei, qui nunc est Jerusalem. Similiter, quando dicit Haymo ad litteram: Syna est mons Arabiae, qui sua magnitudine diversas provincias tangit et sua extremitate conjunctus est montibus terrae promissionis, in quibus est Jerusalem. Ideo tota illa solitudo dicitur Syn, quae tamen habet multas solitudines particulares, ut solitudinem Ethan, Mara, Helim, Dephea, aliis Raphadim, Areroth, Rechma, Cades, et caetera, sicut patet Numeror. C. 33. Hae autem solitudines nunc alia habent nomina arabica, sicut patebit in processu peregrinationis de mansionibus peregrinorum, in quibus fixere tentoria. Qualis sit ergo illa solitudo et quantis defectibus subjaceat, in multis locis sacra Scriptura enunciat. Notandum tamen, quod desertum dicatur quatuor modis. Primo modo dicitur locus desertum vel desertus, in quo posset esse habitatio, sed non est,

25 \*

